



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Patrocinium Defvntorvm

Hautin, Jacques

Leodii, M.DC.LXV.

Articulus III. De intentione ad satisfaciendum pro piis Manibus necessaria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79679)

836.
Opus præ-
ceptum po-
tèst satisf-
facere.

Quod si verò constanti flagellorum à Deo inflictorum, quæ vitari nequeunt, tolerantia responderet satisfactio, satis exploratum est contra Paludanum, Majorem, Sylvestrum, Antonium, etiam respondere operibus, quomodocumque præceptis, id quod communis sententia proficitur. Et verò patere illud autumes ex sensu Ecclesiæ. Hæc enim jejunium verum, ac quadragesimale eò præcipit, ut satisfaciamus, contenditque solemnibus precationibus eum finem assequi. Deinde confessarii reis ac confitentibus quædam imponunt, ut per ea pœnæ peccatis debita fiat satis. Denique hæc etiam mens Præsidum Religiosorum, causaque pœnas delinquentibus injungendi, ut iis toleratis vinculum pœnæ in Purgatorio alioqui solvendæ dissolvatur. Unde exitit hæc aliquorum persuasio, non esse Sacerdoti ritè fatendas noxas, quæ in capitulo correctæ fuerint; si quidem è venialibus sint, quod admittâ patienterque toleratâ pœnâ; quam Prælati iis fuerit admensus, nihil restet expiandum. Denique ratio præcepti non efficit, ut opera desinant honesta, & libera, pariterque molesta esse: cur igitur eorum satisfactioni obsit, cum necessariis ad satisfactionem conditionibus non officiat?

837.
Sic opus
molestum.

Denique id hoc loco observandum est, ut opus virtute polleat satisfaciendi, oportere cum aliqua molestia esse conjunctum. Enimvero satisfactio, sonat injuriæ Numini illatæ vindictam, hæc autem pœnam, seu molestiam: igitur satisfactio semper cum molestia conjuncta sit, necesse est. Deinde satisfactio exigitur, ut quia per peccatum homo plus sibi, quàm Deo tribuit, reponat eidem Deo, quod sibi arrogavit; ergo aliquam molestiam Dei causâ subeat, ut sic illi se subjiciat. Porro vis satisfactionis in eo consistit, quod æquum sit, ut qui ultrò Judicem supremum præveniens, seipse pro culpa laudabiliter castigavit, is vel leviùs, vel nequaquam à Judice pro ea ipsa culpa castigetur. Quare cæteris paribus illud opus præstat alteri virtute satisfaciendi, quod cum graviore molestia conjunctum est. Et propterea rectè advertit Dicastillo, quædam religiosa instituta ad satisfaciendum aliis esse aptiora, quædam ad merendum: illa, quæ dutius vivendi genus sectantur; hæc quæ leviùs quidem, sed proposito ubi fine nobiliori, ut charitatis divinæ, salutisque etiam alienæ exercitiis nobilioribus procurandæ.

838.
Omne opus

Cæterum satis inter Theologos receptum est, omne opus aptum ad merendum, esse quoque ad satisfaciendum; quippe

quia omne tale ex se molestum est. Ratio hæc à priori, ut vocant, redditur, quia nullum opus est honestum, quod non adverteretur alicui bono vel delectabili, vel utili, vel certè non advehat aliquam secum molestiam. Alioquin, ait Lugo, non esset liberum, si esset merum bonum ex parte obiecti, & in exercitio actus. Nec objicias quædam per se esse jucunda, ut esurienti comedere, sitienti bibere, & ejusdem alia modi; nam ut hæc honestè fiant, ad superiorem ac supernaturalem finem erigenda sunt; id verò eò difficilius, quò magis delectant per seipsa. Eò enim magis arduum est voluntatem ab iis velut raptam vincamque ad finem minimè sensilem abstrahere.

Neque iterum dicas in homine veterana virtutis, vel aliunde solatis divinis affluente molestiam illam aut minimè, aut minimum sentiri; Etenim nec opus propterea definit per se molestum esse, neque homo illam molestiam pati, quòd pati desideret, ac lateatur; quod de S. Laurentio, aliisque martyribus, omnino dicendum est, ne illorum gloriæ multum detrahatur. Hæc sunt igitur operis ad satisfaciendum propriis manibus idonei conditiones; quas eorum Patroni libenter explebunt, cum intelligant, quidquid molestiæ piis operibus inesse potest, vix umbram esse cruciatuum, quos illa possunt redimere. ò si defunctis ipsis facultas data esset tam facili pretio libertatem suam emendi, quàm citò durus ille & diuturnus carcer lustralis vacuus foret.

ARTICULUS III.

De intentione ad satisfaciendum pro piis manibus necessaria.

§. 1.

Quæ, & qualis esse debeat?

Hoc imprimis pono, tamquam exploratum, non exigi ad satisfactionem; ut opus ad illam destinetur. Ut enim vim habet merendi, licet ad merendum non dirigatur, ita & satisfaciendi, præfertim cum ut semel diximus, satisfactio meritum imitetur. Quin imò addo, eò majorem inesse illi virtutem satisfaciendi, quò minus respicit satisfactionem, aut ad eam refertur. Quemadmodum enim si miles

839.
Licet ali-
qua dele-
tent.

840.
Opus perso-
est satisf-
actorium.

miles quispiam culpæ ac pœnæ reus egrégium in bello stratagema patret, vel corporis sui objectu, periculoque Regem tuendo, vel urbem ab obsidione solvendo, non modò culpæ, sed & pœnæ condonationem meretur, licet de illâ ne cogitarit quidem, imò magis meretur, quò longiùs abfuit à cogitatione, respectuque condonationis, & ad utrumque facinus solo Regis amore adductus est: ita is amplius & meretur, & satisfacit, qui nullo lucri & satisfactionis studio, sed solo Numinis amore ad opera pia honestaque impellitur.

841. *Et proficit defunctis, is destinatur.*
 Eo posito asserendum est oportere opus pium qualecumque destinari piis manibus, ut ejus satisfactio iis proficit. Alioqui enim cum hæc opus velut naturæ sponte sequatur, illud autem sit operantis, consequitur jus satisfactionis ad operantem pertinere, si operans nulli alteri opus suum nullo modo adscripserit. Dixi jus, non autem satisfactionem. Etenim si operans liber est pœnæ vinculo, seu obligatione, nulla ex ejus opere satisfactio ei provenit, cum nec esse, nec concipi possit sine aliqua, quam diluat, ad pœnam obligatione. Ergo in thesauro Ecclesiæ eo pacto recondetur, neque, tunc quidem, ulli proderit. Ut igitur id jacturæ certò videretur, valde conducet, ut operans eâ mente sit, ut si quando liber est ab obligatione pœnæ, aut quia indulgentiam plenam consecutus sit, aut aliâ ratione, operis sui satisfactionem piis manibus condonet. Item si ab eâ obligatione futurus est liber in exitu vitæ, omnem futurorum operum satisfactionem iisdem transcribat; nec enim frustra esse debet, quod animabus adeò egentibus potest prodesse.

842. *Actuali, vel virtuali intentione.*
 Sed enascitur hinc inter Theologos quæstio, qualis intentio ad hoc requiratur, ut operis satisfactio defunctis utiliter assignetur. Est enim intentionis triplex genus; nimirum est actualis, virtualis, habitualis. Actuali nihil notius, nihilque certius, aut efficacius ad solatium defunctorum. Virtualis est, quæ manet in vi quadam à qua ad opus impellor, ut cum intentione ac consilio defunctos juvandi, librum ad legendum eorum gratiâ psalimum quinquagesimum arripui, & legere inchoavi, postea verò mente divagor, dum legere pergo: tum enim satis constat, manere primam illam intentionem; alioqui enim cur pergerem? sed manet in vi quadam, seu in impressa menti quadam tacita voluntate, quæ etsi non percipiatur propter divagationem, tamen in opus influit, ita quidem, ut à priore actuali intentione, tenihil differat, sitque ea ipsa actualis, la-

tenter tamen manens, & velut clanculum opus urgens. Neque dubium esse potest, quin hæc quoque intentio valeat ad opem piis manibus ferendam; alioqui enim totum, quod inter orandum, jejunandum, aliudvè honestum opus per mentis à proposito sine evagationem fieret, iis periret: adeoque vix quidquam è nostris operibus ad eos pertinere posset: quod est falsissimum.

Tertia intentio est habitualis, quæ non aliud est, quàm intentio planè præterita; non tamen plenè retractata; ut cum heri, aut aliàs fructum faciendarum Missarum defunctis destinavi, neque voluntatem illam retractavi, hodie verò ejus destinationis planè immemor Missam facio, cras item, ac perendie. Intentio Missarum illarum fructum defunctis transcribendi dicitur habitualis: & quæstio est, an illis proficit. Pauci sunt, qui negent; communis sententia, ut testatur Lugo, affirmat, & meritò. Nam transcriptio illa satisfactionis operum à me patrandorum est donatio, ad quam cum in humanis sufficiat voluntas habitualis, quidni in proposito: Declaratur. si quis Paterfamilias donet primogenito certam aliquam hæreditatem, quæ quidem necdum obtigit, sed ad quam jus haber; illa certè dum obtinet, erit primogeniti, etsi dormiente Patre obtingat. Item si quis donet alteri fructus ex fundo suo proventuros anno sequenti, aut quid aliud accipiendum postea. Et ratio est, quia ejusmodi donatio est implexa huic conditioni, si hæreditas obtingat, si proveniant fructus: quâ positâ, donatio fit absoluta. Ita igitur in proposito, si dones defunctis satisfactiones futuras, valida erit donatio, eisque proderit, quotiescumque aliqua satisfactio ex tuo tamquam fundo proveniet.

843. *Vel etiam habitualis.*
 Deinde non levis quæstio agitari potest, an nisi certo defuncto, vel defunctorum numero, suffragium destinem, ejus satisfactio tam illis, quàm aliis pereat. Tauschius noster l. de Virgine Dolorosa post Bartholomæum Perez omnino perire pronunciat, adeò ut si quis ita secum indistinctè statuatur, *Volo hanc orationem solatio ac levamento esse uni è piis manibus*, frustra sit orationis satisfactio. Ego verò generatim quidem affirmo, hujusmodi definitâ destinatione opus esse, ut uni certo, puta fratri, proficit (id enim extra dubitationem) nego tamen satisfactionem perire, si eam indistinctè alicui ex piis manibus assignes. Quid enim hoc aliud, quàm eam Deo offerre, ut cui libet assignet? & quis hujusmodi donationem in humanis validam inficitur? nonne quotidie

quotidie stips seruo committitur, ut cui videbitur pauperi eam largiatur? Nec dicas consecrationem alicujus ex multis hostiæ, à me non definitæ, invalidam esse. Nam vera consecratio certam designat, cum sic habeat: *Hoc est Corpus meum, hic Sanguis meus.* Qui ergo incertam menti proponit, contra essentiam consecrationis facit. At destinatio non sic certum defunctum designare debet: Quid enim necesse?

845. *Potest revocari assignatio.* Cæterum ex his, quæ hîc dicta sunt, facile est colligere alterius quæstionis decisionem, an qui semel satisfactiones suas, vel in mensem, vel in annum, vel in perpetuum piis manibus addixit, possit eam donationem revocare? est enim sub distinctione respondendum. Ordinariè nimirum, atque ut aiunt, regulariter, revocari posse; non aliter, quàm Sacerdos, qui crastinum sacrum hodie hujus, vel illius necessitatis publicæ, aut privatæ causâ facere decrevit, potest, & licitè quidem, alterius causâ sacrificare, cum decretum illud intra fines donationis revocabilis consistat, hæc verò minimè obliget. Quod præsertim hîc ratû est, ubi nullus est, qui transcriptionem admittat. Extra ordinem verò, dum quis ex mente sese adstringendi, iisdem defunctis futuras satisfactiones addicit, additio illa valet promissionem Deo factam, atque adeò voti vim habet, ut cum quis Divo cuidam tabulam pictam promittit, Deo promittere censetur.

§ 2.

Quando satisfactiones sint Defunctis assignandæ.

846. *Explicatur quæstio.* **D**UBITATIO in eo sita est, an post opus præstitum sufficiat illius satisfactionem iis transcribere. Enimvero Gertrudem ac Liduinam ita fecisse retulimus; dedit enim utraque defunctis non modò futurorum operum, sed & præteritorum proventus omnes, & cum lumine divino illustrata foret non temerè est erroris hoc in genere damnanda. Et verò satisfactio S. Liduinæ præterita, vel alteri assignata erat, vel ipsi: si prius, facile fatebor jam alterius fuisse, dum postmodum assignabatur. Si posterius, si, inquam Liduinæ erat ascripta, ergo Liduina ejus erat domina tamquam lytri sui per se parti: quis autem vetet, quin dominus lytri, ac pecuniæ, qua se redimat, eam alteri possit elargiri? Deinde probabile diximus posse Titium satisfactionem sibi ab altero concessam Caio

concedere: dum autem Caio concederetur, jam præterita esset, quia non potest uno eodemque tempore esse Titii, & ejusdem non esse, sed Caii.

Verumtamen omnino cum Lugo dicendum est destinationem operis satisfactorii, ut vel vivis, vel mortuis proficit, operi ipsi præviam esse oportere; adeò ut non sufficiat, Virgineam corollam, jejunium, & similia, postquam desière, Numini offerre in eorum gratiam, sed oblatio hæc opus antecedere debeat. Et ratio est, quòd actio, & opus meum non subsit propriè dominio meo, nisi quatenus subest libertati: quando verò factum est opus, non subest propriè meæ libertati, sic ut illud æquè omittere possim, ac facere: nequit enim infectum esse: ergo nec dominio meo subest, ut illud in alterum possim transferre. Ita argumentatur Lugo. Itaque vel priusquam fiat, vel quando fit, non aliàs, transcribi validè potest. Dicastillo verò post Suarium, ad Dei sic statuentis decretum, non immeritò, nec indoctè, recurrit. Posset enim Deus statuisse, ut etiam cum factum esset, alteri posset assignari. neque verò tam strictum dominium in opus, quam exigit de Lugo, potest probari. Decretum autem divinum his rebus cernitur. primum enim, si satisfactionis donatio suspendi posset, possent Beati, & alii, satisfactiones præteritas, nulli assignatas, huic, vel illi impertiri pro arbitrio. Deinde si mihi, vel alteri assignatæ posset revocari, absurdum hoc consequeretur, posse quempiam de novo dignum penâ fieri, citra omnem culpam, cum nempe, cui satisfactiones datæ adimerentur, quod contra communem Theologorum sensum esse constat.

848. *Quomodo dari possint satisfactiones præteritæ.* Jam ut objectis occurramus, observo primum Liduinam satisfactiones suas præteritas nominatim, ac disertè non dedisse matri; sed indistinctè dolores omnes, virtutumque actiones, quibus ad eam usque diem, qua mater ejus fato concedebat, Deum demerita fuerat. Liberum itaque nobis est, fructum aliquem, qui ex præteritis ejus operibus tunc matri prodesse poterat, in medio ponere. Porrò licet merita quidem Liduinæ matri illius hac donatione venire nequibant, tamen eorum respectu, Deus matri ex misericordiâ placari poterat, per meritum, ut aiunt, congruum, quòd videlicet congrueret divinæ misericordiæ, causâ talis filiæ, sua quantum poterat matri largientis, matri misereri, & satisfactiones ei alienas providere. Deinde hujusmodi Liduinæ omnibus sese abdicantem animus dignus erat, qui eidem matri proximè veniam criminum impetraret, & qui seipso, id est, suamet

suamet satisfactione multas ejus noxas, pœnarumque obligationes dilueret. Et hoc videlicet, certè non modicum, Liduinæ tribuere fas est, plura salvo meliore iudicio, nefas. nisi dicas Deum præter ordinem, satisfactionum Liduinæ partem, quæ matri purgandæ sufficeret, in futuram ejus mortem reservasse, quod non ausim ego dicere. Cætera jam soluta ex dictis videntur. Et si enim satisfactionis præteritæ mihi utcumque assignatæ sim dominus, tamen eam alteri tradere nequeo, ne citra novam meam culpam, fiam supplicio dignus. Ea verò sententia, quæ docet alienam satisfactionem mihi traditam alteri posse transcribi, si vera est, cæ tantum lege est, ut prius, quam opus patretur, aut eam mihi Titius assignet, velit in meo arbitrio esse, sibi quodammodo præreptam.

§. 3.

Quibus potissimum attribuendæ nostræ satisfactiones.

349. *is primùm opitulandum quibus obligor.* CERTUM est primò eas primùm, ac potissimum ascribendas illis esse, quibus obligor. Etenim ut rectè docet Coninck de ordine charitatis dubio 5. *Charitas me semper magis inclinat ad faciendum id quod hic, & nunc facere obligor, quàm ad quodcumque aliud bonum, quantumvis magnum, si ad id non obligor, vel etiam minus obligor, quàm ad aliud; atque ita magis me inclinat, ut dem debitam pecuniam diviti creditori, quàm eo relicto pauperi indigenti, cui nihil debeo, cum utriusque dare nequeo, nisi fortè hic sit in extrema, vel gravi necessitate. Et ratio est, quia cum obliger ad ea faciendâ, pecco ea omittendo, & hæc ponendo, illorum obligationi non facio satis. Unde si hæc non possum facere, nisi illa omittendo, non possum hæc facere sine peccato. Quare sicut charitas nequit me inclinare ad peccandum, ita nequit obligare, ut hæc omittendo illa faciam.* Hactenus Coninck. Ex quo clarè consequitur, me parentes, aliosque, quibus opem debeo, non posse sine ope derelinquere, ut amico mortuo opitulet. Si ergo, & parentes, & amicos simul ad Purgatorium migrasse, velin eo hæreere existimem, illis prius, ac magis, quàm his suffrager, necesse est. Prius igitur pro parentibus, tum pro amicis sacrificii mei fructum Numini offeram, preces fundam, stipem distribuam, & alia ejusmodi faciam, nisi perpetuam agere mihi consilium est, & pietatem parum pie colere.

Porrò inter eos, quibus obligor, ordo quidam est. Et obligatio quidem justitiæ inter cæteras principatum tenet; est enim strictissima, adeò ut religionis, seu voti, multoque magis pietatis erga parentes, aut consanguineos, itemque misericordiæ erga egentes obligatio illi postponenda sit. Quare obstrictus ex contractu expresso, vel tacito pro Titio mortuo crastina die sacrificare, pro eo sacrificabo, etsi cognatus, germanus frater, imò & pater hodie quoque vitæ functi istamet ope egere censentur. Id quod confirmatur, illustraturque: quia præles religionis in pari extremâ parentis sui, & Religiosorum suorum paupertate, obligatur eos etiam Patri præferre, quoniam bona religionis sunt religiosorum, quatenus communitatem constituunt. Si ergo ratio justitiæ Præsidem movere debet ad præferendos suomet patri alios, quantum pertinet ad levandam temporalem huius vitæ calamitatem, eadem ratio in ope iis defunctis ferendâ, quibus ex pacto te alitrinxis, pietati præpolleat, necesse est.

Proximum Justitiæ locum obtinet pietas in Parentes. Docent enim passim Theologi in extrema, vel gravi necessitate spirituali qualis hæc merito censetur, parentes aliis esse præponendos. Quippe quia nobis fuere principium existendi, tam quod ad corpus attinet, quàm quod ad animam. Atque adeò, ab iis, licet remotiùs, tamen accepimus vitæ beatæ, æternæque olim fruendæ potestatem: ac propterea similes Deo, imò quidam dii, quod etiam Ethnici agnoverunt, nobis extirere. Porrò parentes inter Pater primum locum occupat, mater alterum, exinde uxor, tum filii, præterea reliqui consanguinei suo quisque ordine, sive prout magis, minusve, conjuncti sunt. Adhæc illi qui nostræ curæ sunt commissi, cæteris paribus, sunt in Purgatorio præ reliquis adjuvandi. Atque hic est ordo caritatis, quamvis sint, qui filios uxori velint anteferri. Contra quos facit, tum quòd à viro ametur, tamquam bonum præstantius, quàm filii, videlicet ut eorum principium; tum quòd viro coniunctior, quippe quia una cum ipso caro effecta sit. Cæterum hunc ordinem charitatis cæteris paribus etiam in iuvandis piis manibus servandum esse satis compertum est, quia cum iis ex lege caritatis obliger opitulari, ad eius quoque ordinem servandum obligari par est, ne caritatem contra caritatis leges observemus.

Dixi, cæteris paribus, quia multi è Theologis docent, singularem patronum, ac mecænatem omnibus aliis, præter patrem

M m 3

850. Obligatio justitiæ strictissima.

851. Inter parentes ordo.

852. Quid de salutis ad-

*patore, a-
liisue ami-
cis dicen-
dum.*

trem præferri posse, imò Lorca contendit singularem amicum fratri præhabendum. Addit Bannez, & ex eo Turrianus apud Coninck, primum remotiores consanguineos non necessariò præponi singularibus amicis: quia ad illorum levamen non tanta inest obligatio. Deinde eximium benefactorem in pari necessitate, necessariò præferendum cognatis in tertio, aut quarto gradu. Denique si parentes, ut diximus, primas hinc tenent (quod remotè saltem ab iis habeatur benè ac beatè esse): si quis mihi ad hoc ipsum multo plus, quàm Parentes, contulerit, ut multi confessarii, aliiq̃ salutis alienæ studiosi, cæteris dijudicandum relinquo, an non parentibus possint in hoc genere opis anteferri. Ego quidem existimo non defore, qui etiam anteferendos liberè affirmant.

*853.
In dubio
suffragan-
dum sub
condicione.*

Verùm ex hoc ordine, ac ferie eorum, qui mihi in Purgatorio adjuvandi sunt, perplexa emergit difficultas. Quis enim sciam, quibus primum opituler, cum me lateat an pater, an mater, ac singularis patronus pridem vitâ functi, adhuc Purgatorio attineantur? Deinde si primum, ac præcipuè iis opem debeo, qui mihi conjunctissimi, quomodo sine eorum injuriâ aliis eam feram, quos interim continget decedere? Ergone totam vitam (tamdiu enim dubium restabit) solis parentibus, aut fratribus licebit opitulari? Respondeo ad has & ejusmodi difficultates expediendas conducere, ut eâ lege patri, matriuè, assignemus nostra suffragia, ut si iis non egeant, alteri, qui & eget, & cæteris præferendus est, transcribantur. nec opus est hanc conditionem ad singulas donationes exprimere, sufficit enim ut identidem iteretur, imò ut semel mente expressa non revocetur. quamquam ad securitatem summam expeditet sapiusculè repeti, ne fortè intentio metè habitualis, etsi contra sensum communem, minus efficax sit.

*854.
Iis dando
quibus
Deus novit
me obliga-
ri.*

Deinde iis suffragia adscribi possunt, quibus Deus novit me ætiori vinculo obligatum, nec enim causam video, cur voto illi meo non sit facturus satis, cum ejus hæc sit mens, ac voluntas, ut iis potissimè ea tribuam; & ignorantiam meam, quam excutere nullo modo possum, libenter sit supplementurus. Si dicas duas fortè esse animas, quibus æqualiter sum obstrictus, occurram facile, si reponam, casum hunc videri metaphysicum. sed fac physicum, ut aiunt, esse, & ita revera evenire; quid tum? Tum, inquis, suffragia mea in irritum cadent, & ad Ecclesiæ thesaurum devolventur. ita P. Benedictus Perez in quodam hac de re tractatulo. At hoc ipsum, nego. Enimverò

mea suffragiū adscribentis mens hæc est, ut profit alicui, itaque proderit. At cui? nempe illi nominatim cui ascribo. Verùm uni ascribo cum non uni maximè obstrictus sim: sed æqualiter duobus. Quid tum? nam certè etiam tum mens mea est, ut aut utrique profit, ac dividatur, aut saltem uni; aut mihi maneat, aut etiam toti Purgatorio: nullo modo ut pereat; nec enim darem, si perire vellem. Cum igitur do, nolo perire, non ergo in thesaurum Ecclesiæ devolvetur, sed saltem omnibus piis manibus cedet, tamquam bonum iis commune, quippe concessum quidem Purgatorio, sed ad quod nullus jus proprium habet.

Quomodocumque res ista, ac mens mea se habeat, non arbitror Deum tam minutè, & velut insidiosè mentem meam interpretari, quasi si suffragium meum frustra collatum esse vellet, & in thesaurum Ecclesiæ transfundi, cum alia omnia velit, & thesaurus ille sit copiosissimus, nec umquam exhauriendus. Et verò etiam in foro illo divino valet illa juris regula: *dispositionem quamcumque ita interpretari oportere, potius ut valeat, quàm ut pereat.* Quare ego quidem ita de divina bonitate sentiendum existimo, ut vix ullum suffragium mortuis collatum, Purgatorio non profit, nam si umquam dici debet non prodesse, tunc maximè eum damnatis assignatur. Verùm etiam tum mens assignantium est, ut profit, & cum præter opinionem designatis prodesse non possit, mens certè est, ut eorum cognatis, aut parentibus, aut aliis quibuscumque sit usui. Et idem Numinis consilium est hæredes morientis, ut ex ultimâ defunctorum voluntate, vel sua sponte, stipem erogent, Missas procurent, & alia perficiant. Est etiam ista Sacerdotum Missas facientium voluntas, ut earum fructus defunctis veniat: & eadem denique est accipientium stipem, ob eamque orantium pro illis, ut preces incassum non abeant: sicque Patronos defunctorum, & pauperes, ac pios mortuos in Purgatorio locupletari credibile est. Par enim est ut bona illa tamquam derelicta & quæ nullius propria sunt, iis obtingant, qui vel de Purgatorio benè meriti sunt, vel pia egestate illa sunt promeriti.

Nec dicas hujusmodi voluntatem, ut suffragium alteri profit, si non profit designato, distinctè exprimi debere, ut revera alteri profit. Quis enim hoc probes? Quis ostendas tacitam ac confusam voluntatem non sufficere? Si præterea instes eum, qui Titio præter opinionem damnato assignat fructum stipis in egentes erogata, nihil omnino de suffragiū in alterum translatione cogitare

*855.
Deus men-
tem assignan-
tis benigne in-
terpretatur.*

*856.
Solvitur
objectio.*

cogitare, atque ad eam non velle, sed ad summum fore ut vellet, si Titio non posse usui esse cognosceret. Respondeo primò vel hanc voluntatis propensionem in causâ tam favorabili dici posse probabiliter sufficere; juxta illud, *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Deinde rarum esse ejusmodi eventum, & facile vitari, si vel semel in vitâ venerit in mentem translationis huiusmodi necessariæ. Cum enim sit res per se & evidenter bona, voluntas eam statim amplexa fuerit, & in posterum generatim decreverit. Denique qui hæc legit, nunc concipiat voluntatem, ut nulla ex suffragiis à se assignandis fructu careant, omnibus, quæ obici hinc possunt, sese extricârit.

857.
Præcipua præcipuis, alia aliis suffragia tribuenda.

Cæterum altera huiusmodi difficultates evadendi via hæc est, ut in dubio an parentes, aut eximii patroni in Purgatorio detineantur, præcipua illis, si egeant, alia nonnulla, & certa amicis, commendatis, aliisque miseris satisfactionum portio assignetur. neque enim iniuriæ sibi vertere possunt, si quid ex ratione grati animi, aut misericordiæ vinculo aliis identidem doneatur; ut si cæteris in parentes distributis, indulgentiam ex synaxi generali, aut numismate amico attribuas, aut certam in singulos dies stipem, aut corporis, animiue afflictationem. Propterea quod iuste invitari esse nequeunt, si id fiat, quod ratio postulare videtur: præsertim cum jam per plures dies, aut menses, opem coniunctissimis adferre non desieris, eosque probabiliter flammæ carcere in cæli atrium evexeris.

858.
An sequendus instinctus.

Et sunt qui nescio quo instinctu hinc se agi sentiunt. Aliquamdiu enim ad cumulanda pro certis defunctis suffragia intus impelluntur, postea impulsus desinit, & ipsi desinunt suffragia illis transcribere; rati iam illos minimè egere, vel Deo in votis esse, ut alius, vel alii, ad quos iuvandos recens impelluntur, eorum suffragiis imperiantur. Quam methodum non improbem in piis, & iam diu istius artis peritis; in aliis, ac promiscuè, neque velim, neque possim probare.

859.
Vni magis prodest suffragium, quam multis.

Si ponas, & parentibus, & aliis, quibus obstrictus sis, factum utcumque satis, lis est, an præstet certo alicui sigillatim, an omnibus universim manibus suffragari. Quam litem ut dirimam, adverte quod certum est, satisfactionem nostram, eum limitata sit, pluribus minus, quàm paucioribus prodesse posse, & uni item, quàm duobus, ac propterea omnibus Purgatorii inquilinis perparum solatii conferre. De-

inde cum uni tribuitur, eum citius in cælum subvehere, ubi & Deum citius amet, & tibi opitulari possit efficacius. Contra autem cum assignatur pluribus, ac minimè, cum toti Purgatorii contubernio, quia tardissimè tota, quæ nunc est, turba piorum manium, libera in cælum feretur. Propter hæc videri potest præstare simpliciter uni, quàm pluribus, & potissimè uni, quàm toti Purgatorio suffragia sua imperitari. Et fateor si spectetur mutuum, quod ab animabus speratur, auxilium; cum in cælo sit efficacius, & anima una à me unicè adiuta, cælo citius potitura sit, præstare unam, quàm plures adjuvare.

Verumtamen quia vera charitas mercedem non venatur, & ad gloriam Numinis, animarumque salutem tota fertur, ad plures æquè, atque ad unum iuvandum inclinare videtur, nec refugit toti Purgatorio suffragari. fac enim in tantâ multitudine ex unicâ oratiuncula vix quidquam solatii animas singulas accipere, tamen aliquid accipiunt, & ideò Numini gratias agunt, agentque in æternum. Nec refert, quod unica citius Deo sit fruitura, si unicè juvetur. Nam & omnes aliæ ob unicam illam oratiunculam cælo etiam citius invehentur. Et certè Ecclesia prope semper pro omnibus orat, nec pro una, aut paucioribus, nisi sint ex necessariis, ut parentibus, & ejusmodi. Ex quibus clariùs satisfit illi argumento, quod dum omnibus animis nostra suffragia largimur, vix ad singulas quidquam ex iis veniat. Nam ut unicum frumenti granum vix quidem quidquam confert ad civitatis amplæ ac numerosæ famem satiandam, confert tamen cum aliis coniunctum: ita etsi oratio una, aut afflictatio corporis seorsim spectata, perparum omnibus piis manibus opituletur: tamen Ecclesiæ precibus, aliorumque multorum suffragiis mixta, plurimum prodest, oportet. Denique etsi minimum sit, quod per te ipse confers, tamen cum tormenti gravissimi partem aliquam demat, minimum censeri non debet: quia summi illius tormenti, nulla particula non gravis est. Itaque non placet hac in parte doctrina Benedicti Perez, & Tauchii, qui absolute aiunt, satisfactionem meam ad unam restringendam esse. Qui fortè mecum facient si dixerò, sic pro omnibus esse orandum ut Deus multis mortalibus mentem iniiciat defunctos iuvandi.

Ad extremum hinc respondeo isti quæstioni, an potius sanctiores, quàm minus sancti suffragiis nostris sint donandi? Satis enim constat cæteris paribus sanctiores esse præferendos, quod Deo sint coniunctiores.

Cum

860.
Cur potius multis suffragandum.

861.
An sanctioribus potius, quam aliis.

Cum enim charitas proximè ad Deum nos ferat, secundum Deum ad illos amandos juvandosque maximè impellit, qui ad Deum sanctimoniâ magis accedunt. Sed tamen alia identidem occurrunt, quæ mihi persuadeant alios esse sanctioribus anteponendos, nempe majora tormenta, major egestas suffragiorum, ac diurnitas tolerantia: hæc enim acuunt misericordiam. In summâ illi potissimè levandi, quorum in levamento major Dei gloria sita est. Et

sic universim statuendum est, secundum eos, quibus particulari vinculo sumus obstricti, illis esse destinanda nostra suffragia, quos juvari, vel D. Virgini, vel D. Michaeli, aut alicui è sanctis nostris patronis placuerit, vel aliunde magis ad gloriam divinam interest. Et ita omnibus dubiis, ac quæstiunculis, omnibusque jacturæ suffragiorum periculis, facillè nos exsolvemus: & Divos illos eo honore nobis devinciemus.

CAPUT SECVNDVM.

De jejunio, primo utique opere ad satisfaciendum idoneo.

862.
Jejunium
inter opera
satisfactio-
ria primo
loco tra-
ctandum.

TRIA in universum opera satisfactionis fecunda recenseri solent: jejunium, eleëmofyna, oratio. Cætera enim ad hæc revocantur. Inter ea jejunium primo loco statuimus: tum quia Augustinus in Pl. 42. de operibus justitiæ, seu meritoris, atque adeò satisfactoris ita statuit, his verbis, *Hæc Justitia hominis in hac vitâ, ieiunium, eleëmofyna, oratio*: tum quia Scriptura, cum de placando à scelerum consciis Deo agit, jejunium, aliasque corporis, animique potissimum afflictiones producit; ut Joëlis 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu*. Tum denique quia diximus cæteris paribus illa opera esse satisfactionis fertilia, quæ sunt molestiora. Itaque de jejunio disserendum hic primò, prout nomen sonat, ostendendumque defunctis opitulari: tum de eodem agendum prout latè extenditur ad animi corporisque molestias, vel sponte susceptas, vel patienter toleratas. Tu piorum manium Amator, mensæ multis ac variis cibis instructæ accumberete puta, in qua cum ex omnibus gustare non liceat, deligenda illa fercula, quæ magis, vel palato arrident, vel ad tuam conferant valetudinem. Interea matrem imitare, quæ non tam sibi, quam proli comedir: & tu quæ liberis tuis, idest defunctis utiliora sunt, amplectere.

ARTICULUS I.

Jejunium multum valet ad levamen defunctorum.

CUM jejunium iræ Numinis placandæ, atque adeò pœnæ extinguendæ vim habeat, consequitur piis manibus salutare esse. Id quod ex Comestoris sententiâ traditur Levitici 16. c. ubi Legislator, *Mense, & septimo affligetis animas vestras*: Hæc enim afflictatio, Philone ac Josepho auctoribus, in ieiunio à vespera ad vesperam usque sita erat, atque ut tradit Comestor, *Jejunabant homines, & iumenta etiam, & pueri septennes, & agebatur ea die memoria mortuorum*, nempe ut eo pacto lustrales eorum pœnæ levarentur. Quem finem ieiunii insinuat factum illustre Galaditarum, qui post sublata noctu Saülis ac filiorum eius cadavera, probrosè apud Philistinios pendencia, *ieiunaverunt septem diebus*, 1. Reg. 31. nempe *in signum mæroris, & luctus*, ut interpretatur Carthusianus, *& pro spiritibus defunctorum*; nimirum *ut eo ieiunio limbi quierem eis procurarent*. Et certè Beda l. 4. allegoriarum in Samuellem, in eadem verba: *Et ieiunaverunt septem diebus, rectè*, inquit, *& ad litteram pro mortuis, ut ad requiem pervenire valeant, septem diebus ieiunatur*. Quæ etiam mens Davidis, & eius sociorum, teste Carthusiano videtur fuisse, *Quando planxerunt, & fleverunt, & ieiunaverunt usque ad vesperam*

863.
Nomina-
tim valet
jejunium
ad defun-
dos ex
Scriptura.